



*Nf. 20.*



EXERCITATIO  
PHILOLOGICO-THEOLOGICA  
DE  
**VATICINIO  
AMOSI  
PROPHETAE,**

---

QVAM  
ADSISTENTE GRATIA DIVINA,  
PRAESIDE  
**CHRISTIANO BENEDICTO  
MICHAELIS,**

THEOL. ET PHIL. PROF. PVBL. ORD.

AD D. VII. APRIL. A. c1810ccxxxvi.

*IN FRIDERICIANA ACADEMIA* 7

HORIS LOCOQVE CONSUVETIS

PVBLICO ERVDITORVM EXAMINI SVBMITTET

RESPONDENS

**GOTTLIEB AVGVSTVS Seißbeck,**  
HALBERSTADIENSIS.

---

HALAE MAGDEBVRGICAE,  
TYPIS IOH. CHRISTIANI HENDELII, ACAD. TYPOGR.









EXERCITATIO  
PHILOLOGICO-THEOLOGICA  
DE  
VATICINIO AMOSI.

§. I.



Nimus nobis est, præliminaria quædam Nomen A-  
capita, quæ vaticinium AMOSI lectu- MOSI est.  
ris conducere possint, in fasciculum ab  $\text{אָנש}$  im-  
collecta explicare. Quod dum agi- posuit ad se-  
mus, a nomine diuini auctoris, quod rendum.  
hebraice  $\text{אָנש}$ , græce  $\text{Ἀνός}$ , & latine  
*Amos* exprimitur, tractationis initium  
non incommode videmur facere. Certum est, nomen hoc  
esse deductum a Verbo  $\text{אָנש}$  onus ad ferendum imponere, siue  
*fibimet ipsi, siue aliis*; vtpote quod isto significato, quem ei  
modo adtribuimus, nouies in Hebræo Codice occurrit, nem-  
pe Gen. XLIV, 13. 1 Reg. XII, 11. 2 Par. X, 11. Neh. IV, 7.  
c. XIII, 15. Esa. XLVI, 1. 3. Zach. XII, 3. Psal. LXVIII, 20.  
indeque Zach. XII, 3. dictus  $\text{אָנש}$  lapis impositionis,  
qui vt onus graue ad portandum imponitur: sed in expli-  
canda etymologica ratione nominis auctores in diuersa, vt



mox videbimus, abeunt. Vt igitur hac de re, si non certum, tamen probabile quid constituamus, iuuabit ante omnia, tum formam Nominis, tum qualitatem considerare grammaticam: utpote quæ significationem eius quodammodo illustrabunt.

Idemque forma conueniens cum גָּדוֹל *magnus*, כָּבוֹד *gloria*; qualitate adiectiuum & concretiuum potius, quam substantiuum & abstractiuum.

§. II. *Forma Nominis* עָמוֹס *Amos* ita comparata est, ut ratione Qualitatis dubium videri queat, sitne Substantiuum, ad instar כָּבוֹד *gloria*; an Adiectiuum, vel saltem Concretiuum, ad typum גָּדוֹל *magnus*: posteriorem tamen hypothesein priori præferendam esse putamus. Etenim forma Nominum, de qua nunc quaeritur, in Substantiuis non quidem prorsus inusitata, rarior tamen est; at in Adiectiuis & Concretiuis frequentissima. Ex *Substantiuis* vix alia quaerentibus nobis, quam sequentia hæc, occurrerunt exempla: גָּדוֹל *auster*, אֶפְסוֹן *boreas*; כָּבוֹד *gloria*, עָרוֹב *κυνόμυσα*, seu *musca canina*, שְׁלוֹשׁ *trias*, שָׁלוֹם *pax*, & תְּקוּעַ *clangor*. Ex his vero priora duo cum גָּדוֹל *magnus*, aliisque huius generis Nominibus, tantummodo adparentem habent formæ conuenientiam: quippe non desinentia in radicales litteras, ut hæc, sed in seruiles וֹם & וֶן; & prius quidem גָּדוֹל *auster*, a themate גָּדַר *fluxit, defluxit*, posterius vero אֶפְסוֹן *boreas* a צָפָה *eminuit, ex alto prospexit*, uti PRÆSES in *Disp. de Notionibus Superi & Inferi* §. XV. ostendit. Sed & reliqua, si paulo spectentur curatius, ex se & prima sua, seu formali significatione, Adiectiua forte fuerint, eaque nonnisi per accidens ad Substantiuorum classem traducta: ita ut כָּבוֹד proprie sit *grave*, per metonymiam vero Adiectiuum pro Substantiuo *grauitas*, eaque vel *ponderis*, vel *gloriæ & honoris*, vel *opum*; עָרוֹב *commixtum* quid, *musca canina*, quæ in agmen commisceri & coire amat; שְׁלוֹשׁ in quo *ternum* quid est, pro *triade*; שָׁלוֹם *integrum*, pro *integritate, incolumitate, pace*; denique תְּקוּעַ *infixus* tubæ sonus, pro *clan-*



*clangore.* At Nominum *adiectiuorum*, seu concretionum, integram messem cernere licebit apud Cl. IOANNEM SIMONIS in *Arcano Formarum Nominum Hebr. linguae* P. I. p. 137. seqq. Tum vero, licet haud abnuamus, propriorum Nominum, quæ personis imposita ab Hebræis legimus, non pauca abstractiua esse, tamen plura sunt adiectiua; aut si substantiua, tamen concretiva: idque non immerito; quia personarum nomina, in omnibus propemodum linguis, vel a qualitate, vel a rebus gestis, vel a professione, commode non minus quam vilitate desumuntur.

§. IV. Quod si עֹמוֹס *Amos* ex rationibus formæ grammaticæ potius concretivum, quam abstractivum Nomen est, igitur remota *impositionis*, *onerationis* & *gestationis* significatione, concretivum ei valorem iure vindicare videmur: sed qualem? Num a) intransitivum *Grauis*? an b) transitivum *Imponentis*, *onerantis*, *portantis*? an denique passivum, siue c) *Impositi* aliis, ac adeo *portari*, siue d) *Impositionem patientis* ac *subeuntis*, indeque *onusti* seu *onerati*? Primam hypothesein sequuti fere sunt doctores Hebræi, qui nomen id exposuerunt *grauem lingua*, hoc est, *balbum*, uti deinceps §. XVII. videbimus: HIERONYMVS item, (saltem ex mente aliorum, quos in *Comment.* ad Esā. I, 1. laudavit) explicans id populo *durum* & *grauem*; & in *Proam.* ad Amosum, *populum avulsam*, quasi esset compositum ex עֵץ *populus* & שָׁוִי *recedere*; PROCOPIVS, qui *Comment.* ad Esā. I, 1. reddidit λόγον σκληρόν, *Sermonem durum*; nec non MATTH. HILLERVS, qui in *Onomast.* S. p. 80. & 823. *Onus* vertit, ipse tamen (vt mox adparebit) a se dissentiens. Admitti omnimodo hæc possent, si thema illud עֹמוֹס, a quo nomen *Amos* deductum est, intransitivum gauderet significatione *grauem esse*; quia Nomina huius formæ, deriuata a Verbis intransitivis, solent & ipsa intransitive capi, vt אֶרֶץ *rubicundus*, ab

Remota significatione abstractiua *impositionis*, remanet quadruplex in exponendo Nomine hypothesis. Primo, num significat *grauem*, siue lingua, siue sermonibus aut *onus*?



מִן *rubuit*, אָרָךְ *longus*, ab אָרַךְ *protensum esse*, מוֹרֵד *mundus*, a מוֹרֵד *mundum esse*; prouti Cl. 10. SIMONIS (quo diligentius & accuratius nemo in significatus formarum Hebraicarum inquisiuit) pluribus ostendit l. c. pag. 139. seqq. Cum vero primitivum עָמַס nullibi *grauem esse*, sed ubique *onus imponere* significet, igitur nec nomen *Amos*, in se & sub hac forma spectatum, *grauem* notat, nisi per metonymiam; nempe quia quæ *ad ferendum imponuntur*, *grauia* solent esse.

An vero secundo, *onus imponentem portantemue* actiue?

§. V. Num igitur, quæ altera est hypothesis circa expositionem huius Nominis, *Amos* transitiva significatione valebit a) *onus imponentem*, aut b) *portantem*? Prius horum si luberet, non quidem id abluderet a rationibus *Amosi*, ut qui tum Israelitis & Iudæis, tum finitimis populis vaticinando durum *onus imposuit*; & cuius verba, (aiente Amatzia Bethelenfi sacrificulo Amos. VII, 10.) *sustinere terra non potuit*: sin posterius, (vti id placuisse videmus SIXTO SENESI in Biblioth. S. lib. I. p. 42.) ne hoc quidem a Prophetæ fati alienum esset; quippe qui onus hostilium persecutionum, quas ab improbo populo, eiusque inprimis clero, sustinuit, patienter ex voluntate Dei *portauit*. Posset item tum hoc tum illud veri speciem consequi ex analogia similium Nominum, vt בִּחֹן *probator*, (vt vulgo exponitur) a בָּחַן *probauit*; יָגוּר *timidus* seu *timent*, ab יָגַר *timuit*, זָקוּשׁ *auceps* seu *retia tendens*, ab זָקַשׁ *retendit*, עֲבוּר *turbator*, ab עָבַר *turbauit*; sed laudatus modo SIMONIS l. c. pag. 137. ostendit, Nomina huius formæ, si a Verbis transitivæ actionis deriventur, potius Obiectum, quam Subiectum actionis notare; vt מִסֵּן *infans qui gestatur*, ab מָסַן *portare*; מֵאֵס *quod reiecitur*, reiectamentum, a מָאָס *reiecit*; נִקְר *punctatus*, ab Arab. נִקַּר *pungere*; תִּקּוּץ *quod insigitur tubæ*, seu *clangor*, a תִּקַּץ *insigere*, *clangere*. Qua cum regula quomodo conciliari queant



queant exempla paulo ante producta, quæ contraria videntur, id malum apud laudatum Auctorem p. 556. alibique relegi, quam propriis explicare verbis.

§. VI. Restat proin hypothesis tertia & quarta, ut vel *impositum ad ferendum*, ac adeo *portatum*, vel *onustum* seu *oneratum* denotet. Posterius non placet: quia actio per

Verbum *עָמַל* significata, nusquam in sacris litteris pro Obiecto habet id cui quid, sed ubique id quod alicui imponitur ad ferendum; indeque *עָמַל* Amos non dicit *onus subeuntem*, *onere grauatum*, *oneratum* seu *onustum*, quomodo MATTH. HILLERVS in *Onomast. S.* p. 38. & 743. sibi non satis constans (nam alibi *Onus* vertit) interpretatus est, sed potius, quæ nostra est sententia, *impositum, portatum*.

Fieri an denique potuit, ut parentes Amosi id nominis filio recens nato indiderint, animum & adfectum testaturi erga Deum diuinamque providentiam; utpote cui filium a tenerrima infantia per omnem vitam commendatum esse cuperent: plane ut Esa. XLVI, 3. 4. Deus, eodem utens Verbo, a quo *Amos* nomen est, de Israelitis dicit: *Portati* (*הַמְעֻלִּים*) a me *inde ab utero, gestati inde a matrice*; quin & *ad senium vestrum usque ego sum idem, & usque ad canitiem vestram vos baiulabo*; ego vos feci, idemque gestabo, & idem baiulabo vos, atque eripiam. Aut ut Dauid Psal. XXII, 10. 11. ipsum Messiam Patri cælesti loquentem introducit: *Tu es qui eduxisti me ex utero, qui me confidentem (securum in te) reddidisti super verberibus matris meæ; in te proiectus sum inde a matrice, ab utero matris meæ Deus meus tu es*. Nomen igitur hoc, si ita explicetur, ut iam diximus, professionem fidei ac pietatis parentum erga Deum continet. Confer, si placet, Dissert. de Nominibus propriis sacris, A. ccccxxix. sub PRÆSIDIS moderamine ventilatam, §. XXII. vbi pulcherrima res, populoloque Dei dignissima, quod Hebræi ea suis liberis indiderint

An tertio, *onustum* seu *oneratum*?

quarto, *impositum, portatum*? quod eligitur, & illustratur ex Esa. 46, 3. 4. Psal. 22, 10, 11.



diderint nomina, quæ ad pietatem suam, fidem, spem, reuerentiamque erga Deum testandam, natorum vero animum ad optima quæque incendendum, apprime essent composita, exemplis plurimis est declarata.

Homonymia, seu confusio עמוס *Amos* cum patre Esaia עמוס *Amos*, ex orthographia & etymologia Hebraica resoluitur.

§. VII. Est autem discrimen sat evidens inter nostrum עמוס *Amos*, patremque Esaiaæ prophetæ עמוס, quem & ipsum LXX. Græci interpretes, vna cum Vulgato Latino, 'Αμωδς & *Amos*, perinde ac nostrum prophetam, extulerunt Esa. I. 1. Differunt ambo nomina, vt orthographia, sic etymologia. Noster enim, qui in XII. prophetarum minorum volumine tertium locum occupat, scribitur ab initio per א *Ain*, & in fine per ס *Samech*; at pater Esaiaæ ab initio per א *Aleph*, & in fine per ט *Tfade*: Nomen item nostri adpellatiue *impositum* seu portatum; at patris Esaiaæ nomen *validum* notat. Proinde error est, isque ex confusione nominum ortus, quum CLEMENS ALEXANDRINVS lib. I. *Strom.* p. 327. scribit: *Eius* (Oziæ) *tempore prophetarunt* 'Αμωδς & 'Ησαϊας ὁ υἱὸς αὐτοῦ, *AMOS & ESAIAS FILIUS eius*. Pariterque auctor *de Viris Prophetarum* apud EPIPHANIVM To. II. Opp. p. 245. in vita *Amos*: 'Εστὶ δὲ πατὴρ 'Ησαϊα τῷ προφῆτῃ; vt taceamus alios, quos Ven. D. 10. HENR. MICHAELIS in Dissert. *de Esaia propheta* §. III. not. m) allegavit, & confutavit. Recte vero HIERONYMVS *Proem.* in *Amosum*, *Amos propheta*, inquit, *qui sequitur Ioelem*, & *est tertius duodecim prophetarum, non est ipse, quem patrem Esaia prophetæ legimus*. Ille enim (עמוס) scribitur per primam & ultimam nominis sui litteram, ALEPH & SADE; & interpretatur FORTIS atque ROBUSTVS; hic vero (עמוס) per AIN & SAMECH; & interpretatur POPVLVS AVVLVS. Media litteræ MEM & VAV utrique communes sunt. Apud nos autem, qui tantam vocalium litterarum, & S litteræ, quæ apud Hebraos triplex est, (immo quadruplex, quintuplexue)



plexue) *differentiam non habemus, hæc & alia nomina videntur esse communia, quæ apud Hebræos elementorum diversitate & suis proprietatibus distinguuntur.* Similem in modum confunduntur nomina propria in versionibus Græca LXX virali & Latina vulgata, quæ in Hebræo codice sunt distinctissima: *Saba* Σαβὰ, Hebr. סבא & שבא Gen. X, 7. 28, *Sin* Σιν, Hebr. סין Ex. XVI, 1. at צן Num. XIII, 22. *Rabab* ראבב, Hebr. רחב Iof. II, 1. & רחב Psal. LXXXVII, 4. *Ammon*, Hebr. אַמּוֹן Nah. III, 8. & עַמּוֹן Gen. XIX, 38. *Sion*, Hebr. צִיּוֹן Psal. XLVIII, 3. & שִׁיאוֹן Deut. IV, 48. Quem ultimum locum DOMINICVS MACER ideo inter *adparentes Scripturæ S. contradictiones*, suo subiectas *Hierolexico*, referre opus habuit. Vt vel hinc discendum sit sacrarum litterarum studiosis, necessum esse, ad evitandum errores, vt cum versionibus, quantumvis bonis, authenticum textum diligenter componant.

§. VIII. Patriam suam non obscure prodidit Prophetæ, in titulo libri c. I, 1. de se scribens: *qui fuit inter pecuarios EX THEKOA.* Quamvis enim (quod ISAAC ABARBANEL in Prologo ad XII. Prophetas in contrarium obmouet) se non vocet *Thekoensem*, patronymico nomine, vt i. g. Michæas *Moraschbaum*, & Nahum *Elkeschæum*, se vocant Mich. I, 1. Nah. I, 1. tamen locutio illa *ex Thekoa*, quam adhibet, æquipollet patronymico Nomini; plane vt fuisse dicuntur Benaïas *ex Cabzeela* 2 Sam. XXIII, 10 Ittaius *ex Gibeæ* v. 29. Igealus *ex Tzoba* v. 36. & Ionas *ex Garbcephera* 2 Reg. XIV, 25. pro, *Cabrzeelensis, Gibeathensis, Tzobatenfis, Garbcepherensis.* Vt adeo ABARBANEL, eum ex ratione modo adducta patriam & gentem Amosi dubiam facere conatur, nodum in scirpo quærere censendus sit. Est enim (vt hoc addamus) ista designatio Amosi, *qui fuit inter pecuarios ex Thekoa*, plane gemina huic Ieremiæ, *ex sacerdotibus,*

Similia confusionis exempli.

Patria vrbs  
Prophetæ  
Thekoa, sita  
in tribu  
Iudæ.

B

qui



qui erant in *Anatboth*, Jer. I, 1. qua patriam vatis describi, nemo cum ratione dubitare potest. Vbinam vero, & in qua tribu Israelitica quærendum est Thekoense oppidum? Mirum est quidem, librum Iosua, ubi tribuum sortes describuntur, nihil de illo prodidisse; existat tamen Ios. XV, 60. in versione Græca LXX virali comma *ἐν Βοθαμωθ*, in quo *Thekoa*, cum aliis urbibus X, tribui Iudæ diserte adscribitur: quo de additamento Alexandrinorum interpretum adire iuuabit ADR. RELANDVM in *Palæst.* l. III. sub *Berblechem* pag. 643. Quidquid autem de hoc additamento sit, tamen dubitari nequit, *Thekoam* pertinuisse ad tribum Iudæ. Etenim 1 Par. II, 24. Aschchur, Chetzronis ex Abia vxore filius posthumus, vocatur *אבי תקו* *pater*, hoc est, progenitor *Thekoæ* seu *Thekoensium*; idque ea ratione, ut ibidem dicuntur *pater Berthzur* v. 45. *pater Madmena* v. 49. *pater Kiriathiearim* v. 50. *pater Berblebema* & *pater Berbgadera* v. 51. quorum familiæ ista loca tenuerunt. Atqui Chetzron, *pater Thekoæ*, fuit Iudæ ex Paretzo nepos 1 Par. II, 4. 5. Hinc 2 Par. XI, 5. 6. *Thekoa* inter illas Iudæ connumeratur vrbes, quæ post rebellionem Ieroboami ac X. tribuum a Rehabeamo communitæ sunt: & Ier. VI, 1. compellatur cum aliis Iudaici regni locis, quibus tempore Ieremiæ a Babyloniis & Chaldeis exitium imminabat. Concinit non solum FLAV. IOSEPHVS Antiquit. lib. VIII. c. X. isque *δωτόντης*, verum etiam HIERONYMVS, qui Palæstinæ loca & ipse coram diligenter obiit, dum in *Prologo* ad Amosum, oppidum hoc scribit *sex millibus ad meridianam plagam abesse a sancta Berblebem, qua mundi genuit Saluatorem*: itemque in *Comment.* ad Ier. VI. *Thecuam quoque, inquit, viculum esse in monte situm, & duodecim millibus ab Hierosolymis separatum, quod die oculis cernimus*. Confirmat hunc loci situm, ab Hieronymo indicatum, quod 2 Par. XI, 5. 6. *Thekoa* coordinatur cum *Berblebem*, *Eram*,



*Eram*, aliisque vrbibus, haud dubie in tribu Iudæ & ad austrum Hierosolymæ sitis; & quod Iosaphatus rex Ammonitis, Moabitibus, Idumæis, Syrisque, ab austro in Iudæam irrumpentibus, castraque metatis apud Chatzazonthamar seu Engedi, ad sinum austrinum lacus Asphaltitæ c. XX. 2. obuiam cum exercitu iuit, primo quidem למדבר הקוץ in *eremum Thekoa* v. 20. & hinc porro ad *adscensum Tritz desertæque Ieruel* v. 16. quæ loca proin cis lacum Asphaltitem, ad littus eius occidentale, medio fere itinere inter Hierosolymam a borea, & Engedi ab austro, sita fuisse oportet.

§. IX. Hæc cum ita se, vt diximus, habeant, cæcutiunt igitur Hebræorum magistri, qui Thekoam vel in tribu *Aser*, vel in *Beniamine* ponunt. Ex illis sunt DAV. KIMCHI, qui ad Amos I, 1. ait, *Thekoam fuisse urbem magnam in hereditate tribus Aser*; & ISAAC ABARBANEL, qui in *Prologo* ad XII. Prophetas in eadem tribu illam collocat, addens tamen, *ex Scriptura liquido demonstrari non posse, in quam tribu sita fuerit Thekoa*, adeo vt EPHODÆVS non in tribu *Aser*, sed in *Beniaminitica* illam fuisse contenderit; itemque in *Comment.* ad Mich. I, 1. vbi Amosum tradit, fuisse מוכרי אשר ex filiis *Aser*. Adde his ABRAHAMVM ZACHVTH in libro *Iuchasin* f. 12. a. & R. GEDALIAM in *Sebalsebelerb Hakkabbala* f. 18. b. Vnde intelligitur, cæco, quem cæcus ducit, similem futurum esse, si quis Iudaicorum doctorum placita temere ac sine præiudicio examine esset adoptaturus. Nec vero magis audiendi sunt auctores christiani, in diuersa abeuntes ab his, quæ c. VIII. adtulimus: vt sunt ille de *Vitis prophetarum* apud EPIPHANIVM Tomo II. Opp. p. 245. qui Thekoam posuit ἐν γῇ Ζαβουλὼν in regione *Zabulonis*; & Celeb. HERMANN. von der HARDT, in *Programmate*, quod inscripsit: *Galilai Elias, Elisa, Ionas, Amos, Hoseas, Nabum, ex historia & geographia veteri suæ patriæ restituti*, Helmstad. clb. lcccxix. quod scri-

Perperam  
ab aliis in A-  
seritide, Za-  
bulonitide  
& Galilæa  
quæ sita.



ptum licet in præfenti ad manus non fit, tamen quo tendat, titulus statim prodit; quia nisi Thekoa in Galilæa, cuius partem faciunt Aferitis & Zabulonitis, potius quæfuiſſet, quam in Iudæa, Amofum Galilæis non adnumeraturus fuiſſet.

Desertum  
habuit pa-  
ſcuale, pa-  
ſcendis gre-  
gibus.

§. X. Diſpicientibus autem, quæ porro de Amofi vr-  
be patria Thekoa notanda forte fuerint, ſequentia hæc occur-  
rerunt momenta. Primo, contiguum ei fuit deſertum, quod  
2 Par. XX, 20. מְדִבְרַת תְּקוֹעַ *deſertum Thekœ*, & 1 Maccab.  
IX, 33. הַמְּדִבְרָה *Deſertum* nominatur: pars haud dubie maio-  
ris illius deſerti, quod vel eminenter in deſcribendis finibus  
Iudææ מְדִבְרַת יְהוּדָה *deſertum Iudææ* au-  
dit, quodque ad occidentem lacus Asphaltitæ ſitum eſt Iof.  
XV, 61. Iud. I, 16. vtpote cuius partes, iudice RELANDO in  
*Palæſtina* p. 375. a vicinis locis alia aliæque acceperunt no-  
mina, vt ſunt *deſertum Maon* 1 Sam. XXIII, 2. *deſertum Zi-  
phæ* v. 14. *deſertum Engedi* 1 Sam. XXIV, 2. & *deſertum Ieruel*  
2 Par. XX, 16. Iam vero deſerta Palæſtinæ paſcualia ſunt, &  
alendis gregibus apta; dicta מְדִבְרֵיכֶם *loca ductuum*, ſeu quo  
*aguntur greges*, Germanice *Triſſien*, a רִבַּר *egit, duxit*, a quo  
*oues* dicuntur *paſci* כְּרִבְרָם *ſecundum ductum ſuum* ad pa-  
ſcualia loca Eſa. V, 17. Obſeruauit id laudatus RELANDVS  
l. c. p. 374. commode eam in rem citans verba Talmudico-  
rum in *Baua kama* c. VII. *Non alunt*, inquitentium, *pecudes*  
*minores in terra Iſraelitica*; (puta, culta, in qua ſegetes,  
vineta aut oliueta inueniuntur) *alunt tamen eas in Syria*  
יִשְׂרָאֵל וּבַמְּדִבְרֹת שְׂבָאֲרֵץ *in deſertis quæ ſunt in terra*  
*Iſraelitica*. Hinc clarius intelligitur, quid hoc ſit, quum  
Propheta noſter c. I, 1. fuiſſe dicitur *inter pecuarios ex The-  
koa*. Confirmatur autem, quod diximus, quod diximus, HIE-  
RONYMI, qui in Prologo ad Amofum ſcribit: *Ultra* (hoc  
eſt, ad meridiem Thekœ) *nullus eſt viculus, ne agreſſes qui-*  
*dem*



dem casæ & furnorum similes, quas Afri vocant mapalia. Tanta est eremi vastitas, quæ usque ad mare rubrum, Persarumque & Æthiopum atque Indorum terminos dilatatur. Et quia humi arido atque arenoso nihil omnino frugum gignitur, cuncta sunt plena pastoribus: ut sterilitatem terræ compensent pecorum multitudine. Ex hoc numero pastorum Amos propheta fuit. Deinde vero nomen indepta est vrbs Thekoa a clangore, puta, tubæ aut buccinæ: forte ex hac ratione, quod, cum in excelsiori loco esset sita, (viculum in monte situm disseverte vocabat ἀνωτῆς HIERONYMVS loco superius a nobis allegato §. VIII.) vicinorum tractuum incolas tempore belli, si hostis aduenteret, tempestiue posset clangore tubæ admonere, ut de receptu in tutiora loca dispicerent. Quo respectum est per elegantem paronomasiam Ier. VI, 1. וּבְתִקְוָה וּבְשֹׁפָר *Et in Thekoa, quæ a clangendo est dicta, clangite buccina.* Quod igitur Thekoa vrbs nomine suo ac civili sensu vicinis, id Thekoensis vates re ipsa & spiritualiter fuit Israelitis, nempe tubicen imminentium iudiciorum diuinorum: prout ipse c. III, 6. tali orationis figura utens, Num, inquit, clangetur buccina in urbe, quin homines trepident? Porro ex patria Prophetæ, in Iudaico regno recte constituta, verus intelligitur sensus verborum Bethelenensis sacrificuli Amatzia, quando is Amos, apud Bethelenfes vaticinanti, dixit c. VIII, 12. 13. *O Videns, age, fuge tibi (apage te) in terram Iudæ, & ibi comede panem, ibique vaticinare: Berbela vero ne pergas amplius vaticinari; quoniam sanctuarium regium est, & domus regni.* Quamuis enim ABARBANEL in Prologo ad XII. Proph. p. 223. b. inde voluerit elicere, Amosum eiusque patriam fuisse מִנְחֵל מֵאֶרֶץ שֶׁבִּינִי ex terra X. tribuum regni Israelitici; quia si fuisset ex terra Iudæ, non opus habuisset Amatzias, dicere ei, fuge tibi in terram Iudæ; tamen multo est pronius, dicere voluisse his verbis Amatziam:

Nomen indepta a clangore.

Verus Thekoæ situs illustrat locum Amos VIII, 12. 13.



abiret Amosus in regnum Iudæ, vnde venisset, neque turbas amplius homo peregrinus daret intra fines regni Israelitici, maximeque in Bethelenfi oppido; illic quidem tolerari atque nutrirī infānos ac prophetastros, non heic. Plane vt Moabitarum rex Balakus, indignatus Bileamo, quod maledicere Israelitis noluisset, eodem vtens Verbo, *Fuge tibi*, inquit, *in regionem tuam*, id est, apage, vnde venisti, Num. XXIV, 11.

Cur mentio  
patriæ vrbis  
in titulo  
prophetiæ  
sit facta.

Hæc denique verior nobis ratio esse videtur adiectæ titulo libri mentionis patriæ Amosi, nempe vt argumentum libri ex hac circumstantia illustraretur; quam illa ABARBANELIS, ex doctorum Iudaicorum mente statuentis, si omīssa fuisset in titulo mentio patriæ, Amosum pro Hierosolymitano habendum fuisse, ex temere constituta Talmudicorum hypothesi, כל נביא שלא נזכר שם עירו בידוע שהוא מירושלם *Omnis propheta, cuius vrbs patria nominatim non memoratur, ex confesso Hierosolymitanus fuit.* Assumitur quidem a Rabbinis ista hypothesis, sed idoneis ac stringentibus argumentis nullis probatur. Nam testimonium Scripturæ Esa. II, 3. *E Tzione exhibet doctrina, & verbum Dei ex Hierosolyma*, quo quidem iuuari Talmudicorum regulam ABARBANEL credidit, ad euangelium Christi, tempore N. Testamenti ex Hierosolyma in orbem terrarum exiturum, non vero ad patriam prophetarum V. Testamenti spectat.

Ratione fa-  
milie Amos  
fuit ex  
tribu Iudæ,  
ex profapia  
Aschchuri.

§. XI. De familia Prophetæ nihil est admodum quod commemoretur, quam hoc generale, videri eum ex eadem fuisse tribu, in qua patria eius vrbs Thekoa sita fuit, hoc est, ex tribu Iudæ; nominatim vero ex profapia Aschchuri, qui posthumus filius Chetzronis ex Abia vxore fuit, idemque nepos Paretzi, proneposque Iudæ, tribus suæ conditoris: vtpote quem Aschchurum Thekoensium progenitorem fuisse, iam supra ex 1 Par. II, 4. 5. 24. probauimus §. VIII. De patre vero aut auo Amosi est altum silentium. Vnde

Cur patris



de ISAAC ABARBANEL *Prologo* in XII. Proph. p. 223. a. quaerit: cur ex duodecim his prophetis aliqui tantum a patribus descripti sint suis, ut *Hoseas Beerit, Ioel Petbuelis, Ionas Amitthaii, Tzephanias Cuschii, ac Zacharias Barachiae filius*; alii vero illorum non, ut sunt *Amos, Obadias, Micheas, Nabum, Habacuc, Haggæus, & Malachias*? Eamque quaestionem resoluit tum מִקְבֵּלָה חֲכָמִים ז"ל ex Iudaicorum doctorum traditione, tum מִמְרַךְ הַסֵּבֵרִי per modum coniecturae. Quod ad traditionem Rabbiorum, aiunt hi sic: *Omnis propheta, qui a patribus ceterisque progenitoribus describitur, patres ac progenitores habuit prophetas; qui vero a patribus suis non describuntur, ipsi quidem prophetae fuerunt, sed non patres illorum.* Hinc idem ABARBANEL, *Fieri, inquit, potuit, ut hac ipsa de causa dixerit Amosus: NON PROPHETA SUM EGO, NEQUE FILIUS PROPHETAE* c. VII, 14. ut indicaret, se neque a patribus suis prophetiam hereditate consequutum esse, sicut alii prophetae, quorum patres nominibus suis expressi sunt, neque ipsum se disposuisse ad prophetiam, eiusque studio deditum fuisse; sed, suo cum vacauisset negotio, a Deo O. M. electum, vultumque prophetam euasisse. Sed & heic sumunt Rabbini temere, quod non probarunt, aut probare possunt. Vnde enim constat eis, Beerium Hoseæ, Pethueleum Ioelis, Amitthaium Ionæ, Cuschium Tzephaniae, Barachiamque Zachariae patres prophetas fuisse? Quod vero ad probabilem coniecturam, tribus de causis putat nomina patrum in titulis vatum siue adiecta esse, siue omissa: a) primo, quod patres, qui memorantur, fuerint celebres, strenui, pii, veraces, quorum proin mentio filiis eorum prophetis sit honorifica; & contra, quod prophetae, quorum patres non recensentur, obscuros a parentibus natales habuerint; b) deinde, quod nomina patrum addita, forte perfectionem aliquam prophetarum inferant, eam scilicet, quam adpellatiua pater-

nomen non  
st adiectum.



paternorum nominum significatio innuat; ita vt e.g. *Hoseas* vocetur *filius Beerii*, quod pater eius fuerit (בֵּער Beer) *fons* cognitionis ac sapientiæ, & *scaturigo* aquarum viuientium in Lege; *Ioel*, *filius Perbuelis*, quod eius (פֶּרַב Perb) *frustum* ac *cibus* fuerit in prophetia (יִנְיִן Yiny) *Dei*, cetera: c) tertio, quod, cum contingere potuerit, vt eodem tempore duo pluresue essent siue *Hosea*, siue *Ioel*, siue *Iona*, siue *Tzepbania*, siue *Zacharia*, opus fuerit, prophetas hos ab homonymis personis distinguere, adiecto patronymico nomine a patribus; quod contra in reliquis prophetis, in quorum nominibus nullum ex homonymiæ periculum confusionis, necessarium non fuerit. Placent nobis ex his rationibus prima & tertia: mediam non nisi in Iudaicarum argutiarum censu habemus. Vtique *Amosi* nomen rarum inter Israelitas fuisse credibile est; quia, licet plures in Scripturis commemorentur *Hosea*, *Ioel*, cet. tamen *Amosus*, non nisi vnus occurrit: & hic ipse, cum pastor fuerit *inter pastores* seu *pecuarios*, mirum non est, si patrem habuit obscurum, nulloque splendore celebrem. Ceterum quod *HIERONYMVS* in Quæst. Hebr. in libros Regum Tom. II. Opp. p. 30. ex aliorum sententia refert, Thecoitidem illam, quæ Dauidi reductionem Absalomi persuasit 2 Sam. XIV, 2. sqq. auiam fuisse *Amosi*, non alio quam lubrico fundamento, hoc est, sola loci communione niti videtur.

Olim fuerat  
נֹקֶר pecu-  
arius, c. I, I.

§. XII. Porro si *vita genus*, quod *Amosus* ante diuinam vocationem sequutus est, spectes, fuerat ille נֹקֶר בְּקָרִיָּהּ *inter PECUARIOS* ex Thekoa c. I, 1. Cuius vero generis נֹקֶר בְּקָרִיָּהּ (*pecuarii*) intelligendi heic sint, de eo non idem omnes senserunt interpretes. Præterquam enim, quod LXX. Græci, confuso נ עם ק, & seruatō Nomine Hebraico, (quasi id proprium loci potius quam appellatiuum esset) extulerunt εν Νεκκαρεῖα; & quod inde librarii, eliso posteriori Ν, fecerunt εν Ακκαρεῖα; plane vt Iud. XVI, 4. εν Αλωρεῖα,



ὡς ἐν Ναλσῶν, Ezr. VIII, 17. τῶν Ἀδινέμ, pro τῶν Ν  
 Ὠνέμ fecere. Chaldaeus paraphrasta IONATHAN comma  
 lud reddidit מרי גרתי, quod perperam interpretes Lati-  
 nus in Bibliis Polyglottis Anglicanis vertit, *qui erat pastor pe-*  
*corum*, cum exponere id debuisset, *dominus pecoris* seu gre-  
 gum. Nempe Nomen illud Hebraicum מַרִּי eodem hic Isque non  
 fuit significatu, quo id occurrit 2 Reg. III, 4. *Et Mescha dominus*  
*Moabitum rex erat* מַרִּי, non sane *pastor*, multoque minus  
*pastor mercenarius*, sed, ut ibi quoque vertit IONATHAN, gregum, qui  
 מַרִּי גרתי, indeque interpretis eius Latinus, *dominus pecorum*, error Iuda-  
 siue, ut Vulgatus reddidit, *nutriebat pecora multa*. Quod  
 vero magis mireris, D. KIMCHIO in *Comment.* ad Am. I, 1.  
 locutio illa, *qui fuit inter pecuarios*, videtur esse superlativa:  
*Texrus*, inquit, non dicit מַרִּי PECVARIUS, sed מַרִּי  
 INTER PECVARIOS, ut innueret מַרִּי שבנקרי mag-  
 num, seu primarium inter pecuarios diuitesque pecoris.  
 Forte interpretes isti, ut sic sentirent, inducti sunt præiudi-  
 cio Iudaico, quod Talmudici doctores prodiderunt in Tr.  
 Nedarim f. 38. a. & in Tr. Schabbath f. 22. a. ubi aiunt, *donum*  
*prophetia non habitare nisi super sapiente, forti & diuite*; &  
 quod in altero locorum allegatorum adiciunt, *super procero*.  
 Quasi vero Deus in prophetiæ dono conferendo se istiusmo-  
 di adstrinxisset legibus, ut consequendo illi habiles non essent,  
 nisi qui prædictis fulgerent qualitatibus: cum tamen ut sa-  
 pientia, sic prophetia cum paupertate combinari haud renu-  
 at, coll. Cohel. IX, 15. 16. Hebr. XI, 37. Deusque non forti-  
 tudine equi, neque tibiis viri delectetur, delectetur vero ti-  
 mentibus ipsum, & gratiam eius sperantibus, Psal. CXLVII,  
 10. 11. & nota sit item vox Dei loquentis Samueli, cum hic ex  
 Iſæi filiis primogenitum ob eximiam staturam regno Israeli-  
 tico designasset, *Noli respicere ad formam eius, & ad altitudi-*  
*nem staturæ, - quoniam non quod homo, idem Deus respicit:*

C

nom



*nam homo respicit hominem secundum oculos, Dominus vero respicit eum secundum cor* 1 Sam. XVI, 7. nec non quod Paulus scribit 1 Cor. I, 26. 27. 28. *Non multi sunt sapientes secundum carnem, quos Deus inter vos vocauit, non multi potentes, non multi nobiles: sed stulta mundi elegit Deus, ut sapientes pudefaceret; & infirma mundi elegit Deus, ut pudefaceret valida; & ignobilia mundi contemtaque elegit Deus, & ea quæ non sunt, ut quæ sunt, aboleret: ut ne gloriatur ulla caro caram illo.* Defendant igitur dictum illud Talmudicum, excusentque *Abarbanel* in Comm. ad Amos. I, 1. & si qui sunt alii, qui Iudaicorum magistrorum placita superstitiose venerantur, utcunque possint: nobis id ad palatum non est, minimeque in causa Amosi. Potius persuasum habemus, uti *רועי* non modo pastorem, eumque mercenarium, sed etiam dominum gregis notat Gen. IV, 2. c. XLVII, 3. sic vicissim *בוקר* non modo dominum gregis, verum etiam mercenarium pastorem significare posse, & in Amosi descriptione significare. Placeretque iudicium Ven. 10. GOTTL. CARPZOVII *Introduc.* ad libros Bibl. P. III. p. 318. *Potius dixerim, Deum, qui humilia eligit, & quæ vilia sunt in mundo atque contemta, nobilibus præfert* 1 Cor. I, 26. sqq. *Amosi quoque exemplo testatum facere voluisse, non generis splendore aut dignitate, non litterarum peritia, non humano consilio vel industria comparari, sed diuino munere ac gratia prophetia donum pariter ac officium obtingere, quo tam rudes ac simplices instrueret, quam nobiles ac doctos, pro lubitu suo Spiritus S. soleat.*

Tenuem eius statum ante munus prophetici cum euincunt duo, quæ c. VII,

§. XIII. Nam, quod sentententiam nostram confirmat, ipse Amosus Amatzia Bethelensi sacrificulo, *Non propheta, inquit, eram, neque filius propheta, sed בוקר אנכי ורועי שקמי* pecuarius, seu pastor, eram, & perquirens fycamina c. VII, 14. utpote quibus verbis procul dubio vilitatem conditionis suæ ac status, ante acceptam a Deo vocationem ad munus



munus propheticum, describere voluit, addens v. 15. *sed sumpsit me Dominus a (post) oues*, siue vt Chaldaeus IONATHAN vertit, *ex caula, a ducendis ouibus*. Videmus ergo, quod c. I. 1. erat בִּקְרִיִּם, id heic dici בִּקְרִי pecuarium, seu pastorem; adiungi autem huic epitheto aliud, idque non minus tenuem Amosi conditionem notans, *perquirentis sycamina*: vt adeo tum synonymum, tum synonymo coordinatum attributum, dubitare nos, qualis בִּקְרִי seu pecuarius Amosus fuerit, nequam sinant. Id tantum requiri a nobis videtur, vt, quid c. VII. 14. tum per בִּקְרִי, tum per שְׂקִמִּים בִּוֹלִם intelligendum sit, declaremus. Quod igitur adinet ad prius vocabulum בִּקְרִי, Vulgatus quidem interpres id reddidit *armentarius*, Lutherus ein Rühhirt, eodemque modo Cocceius in Lex. Hebr. *bubulcus*: sed ista significatio vocis, vtut deriuari possit per analogiam a בָּקָר armentum, bucerum pecus, vti כִּירִם vinitor a כֶּרֶם vinea, יָגֵב agricola ab יָגַב ager, tamen neque alibi vnquam vsu venit in sacris litteris, neque sequenti v. 15. est accommoda, vbi Amosus se *opilionem* seu ouium pastorem fuisse dicit; quæ pastoritiæ vitæ genera admodum diuersa sunt. Paulo propius quidem LXX ἀνέλον caprarius, indeque Arabs *pastor caprarum*; iusto tamen adstrictius: quia *pecus* illud, ab Amoso pactum, quod v. 15. nomine הֶצְאֵן venit, Hebræis non *caprinum* solum, sed etiam *ouillum*, immo ouillum quam maxime notat. Accedemusne igitur sententiæ IAC. GVSSETII, qui in *Comment. L.H.* p. 145. illud בִּקְרִי, generaliore significatu *quærendi* acceptum, cum sequenti שְׂקִמִּים בִּוֹלִם arcte coniungens, comma sic reddidit: *Eram quærens & perquirens ficus*? Probauit quidem olim hanc expositionem PRÆSES in *Adnotat.* ad Editionem Halensem Hebræi Codicis l.c. sed quia secundum eam princeps & præcipuum vitæ genus Amosi, quo in frontispicio libri בִּקְרִיִּם *inter pecuarios* fuisse dicebatur, in præsent

14. ipse de se dicit, prædicata:

Prius est בִּקְרִי, quod non armentarium, neque caprarium, neque quærentem, sed opilionem notat.



loco omitteretur; & vero verba hæc בֹּקֵר אֲנִי, ob accentum ex vltima syllaba ad penultimam retractum, pausam faciunt, vi cuius ab sequentibus וְבֹלֵס שְׁקָמִים, & *perquirens sycamina* seu *ficus*, ratione constructionis grammaticæ diuelluntur: igitur, nuncio misso isti Guffetiano interpretatione, vocabulum בֹּקֵר, de quo quæritur, *pecuarium* vertimus, calculum adicientes SYRO interpreti, qui *pastorem* id exposuit. Quomodo plane synonyma erunt בֹּקֵר & נֹקֵר, suauiterque ambo loca Amos. I, 1. & c. VII, 14. conspirabunt. Nec destituet nos sic sentientes etymologia Hebraica, ipso nos præeunte Deo, dum Ezech. XXXIV, 11. 12. ait: וּבְקֶרְתִּים כְּבָקְרֵי רֵעָה עָדְרוּ בַיּוֹם הַזֶּה בְּתוֹךְ צֹאֲנֵי נַפְשׁוֹתָם כֵּן אֲבָקֵר אֹתָם *Et inspiciam eas*, (oues meas); *sicut nempe inspiciat pastor gregem suam die, quo est in medio ouium suarum dispersarum, sic inspiciam oues meas*. Videmus enim heic בֹּקֵר *inspicere*, a quo בֹּקֵר deriuatur, notare *curam* & *inspectionem pastorem, circa gregem*, maximeque *circa gregem ouillum*; indeque Nomen בֹּקֵר, de quo iam quærimus, notare commodissime posse *pastorem*, maximeque *opilionem*, qualem se Amosus olim fuisse testatur: plane vt Petrus 1 Epist. II, 25. (qui locus cum Ezechielico iam allegato prorsus conuenit) fidelibus scribit: *Eratis sicut oues errantes; sed conuersi nunc estis ἐπὶ τὸν ποιμένα καὶ ἐπισκοπὸν τῶν ψυχῶν ὑμῶν, ad PASTOREM & INSPECTOREM animarum vestrarum*. Vt proinde dubium non sit, בֹּקֵר de Amoso dictum significare ποιμένα καὶ ἐπισκοπὸν προσβάτων, *pastorem & inspectorem ouium*.

Alterum,  
*Perquirens*  
*sycamina*,  
quod tenu-  
em notat  
victum.

§. XIV. Quid autem sit, cum Amosus c. VII, 14. insuper se vocat שְׁקָמִים בֹּלֵס *perquirentem sycamina*, diligentissime exposuit Sam. Bocharius in Hieroz. Parte I. lib. II. c. XXXIX. Nempe שְׁקָמִים *sycamina* sunt *genus agreste fici*, quale cum primis frequens nascitur בשְׁפֵלָה *in decliui*  
Iudææ



*Iudææ parte* I Par. XXVII, 28. de qua RELANDVS in *Palestina* lib. I. c. LV. agit. בולס vero *perquirens*, est vel denominatum a Nomine בולס, quod Aethiopibus Arabibusque tum *ficum* tum *sycaminum* notat; quomodo בולס השקמים foret *ficans* (sit venia Verbo) vel *sycaminans* *sycamina*; vt Græcis συνδένειν *ficare* dicitur pro σῶκα τρώγειν *ficus edere*, vel σῶκα ἐκλέγειν *ficus colligere*, quin & ἀποδύσειν τὰ σῶκα, ἢ ὠμά, ἢ πέπειγα, *ficus premere, vt scias, an matura sint, nec ne*: vel a cognato Verbo Chaldaico בלש, quod in Targumim responderet Hebræo חפש *scrutari*, Genes. XXXI, 35. I Reg. XX, 6. Thren. III, 40. Cum vero fructus *sycaminorum* DIOSCORIDI audiat ἀρεσφῶν *parum nutrimenti habens*, & κακοσμάχων *stomacho ingratus & difficilis*; hinc, iudice BOCHARTO l. c. non videtur esse magnæ rei. Et cum agnoscit Amos, (sic pergit laudatus auctor) se neque prophetam fuisse, neque prophetæ filium; sed bubulcum, (opilionem dicere debuerat) *sycomoros* vellicantem, idem est, ac si dicat, se infimæ sortis homuncionem, & in re tenui natum, ita vt miseram vitam parco & frugali victu ægre sustinuerit, ne cogitasse quidem de prophetico munere inter Israelitas obeundo, donec ad id suscipiendum vis maior illum impulerit, hoc est, diuina inspiratio. Omnino si scopum loquentis, vt decet, consideres, verba non glorian- tis sunt, sed potius se ipsum statumque suum, vt ante vocationem diuinam erant, extenuantis: a quo scopo loquentis heic quoque nimium quantum recessit Chaldæus interpres, quum Iudæico errore, quem §. XIV. confutauimus, obnubilatus, comma illud Amos. VII, 14. ita explicauit, vt Prophetam, velut diuitias commoditatesque suas, quas habere posset ac habuisset, ostentantem, introducat: Quoniam Dominus gregum ego sum, suntque mihi in campestri regione *sycamini*; verum propter peccata populi Israelitici adfigo animam meam, priuando me istis commoditatibus, cetera.



Ad statum  
Amosi ante  
vocationem  
diuinam  
pertinet,  
quod non  
propheta  
fuerit, neque  
filius prophe-  
ta.

§. XV. Pertinet porro ad statum Amosi anteceden-  
tem, quod c. VII, 14. Amatzia dixit: לֹא נָבִיא אֲנִי וְלֹא בֶן נָבִיא אֲנִי. Quæ verba si in Præsenti conuertere velles, ad  
exemplum interpretis Vulgati Latini ac Ionathanis, *Non  
SVM propheta, neque filius propheta*, vt & B. Lutheri, Ich  
bin kein Prophet, noch keines Propheten Sohn; habitura ali-  
quid essent, saltem in priore commatis parte, quod contra-  
diceret eiusdem Amosi orationi mox sequenti v. 15. *Dixit  
ad me Dominus: Abi, VATICINARE ad populum meum  
Israel.* Nam *prophetare* seu *varicinari*, & tamen *prophe-  
tam non esse*, talia sunt, vt eodem tempore, de eodem Subie-  
cto, eodemque sensu, vna prædicari nequeant. Placent igitur  
metaphrastæ reliqui, LXX, Syrus, Arabs, qui in Præteri-  
to id extulerunt: *Non ERAM ego propheta, neque filius pro-  
pheta*. Vt quemadmodum *pecuarium fuisse*, & *collegisse sy-  
camina*, sic & hæc ad priorem conditionem statumque A-  
mosi referenda sint. Emphasin autem habet, quod se non  
solum *prophetam*, sed & *filium propheta* antehac fuisse negat.  
Poterat contingere, vt quis propheta esset, nec tamen filius  
propheta; aut filius quidem propheta; nec tamen ipse pro-  
pheta: poterat & contingere, vt vtrumque de aliis adfirma-  
ri, de aliis contra (in quorum numero olim Amosus fuerat)  
negari posset. Est locutio talis, qualis illa Talmudicorum  
in *Avoda zara* f. 50. b. *Ego non sum artifex, neque filius ar-  
tificis*. Cuiusmodi locutionum plura exempla attulit & il-  
lustrauit PRÆSES in nupera tractatione *de Christo Filio homi-  
nis* §. XI. Nempe minus est *filius esse propheta*, quam *pro-  
phetam*; indeque plus dicit, qui filium propheta, quam qui  
prophetam se negat esse: & hoc siue *filius propheta* pro-  
prio significato capias, pro eo, qui prophetam patrem ha-  
buit, siue metaphorico, pro eo, qui prophetam doctorem ha-  
buit, & in propheticis scholis est institutus; vt omnino *pro-  
pheta*.



phetarum filii, illorum vocantur auditores atque discipuli 2 Reg. II, 3. 5. 7. 15. & c. IV, 38. Proinde sensum commatis nostri 10. LIGHTFOOTVS in Chron. V. T. seu To. I. Opp. p. 95. non incommode expressisse videtur: *Amos neque propheta, neque prophetae filius, educatione, id est, neque magister, neque discipulus in scholis prophetarum, sed bubulcus, (potius opilio) ex Thekaa, educationis rudis. Tamen (quod idem LIGHTFOOTVS ibi addit) sicut Galilaei piscatores, illustris euadit discipulus in schola Domini, & illustris doctor in congregatione Israelis.* Dignus proin, qui comparetur, vt modo cum piscatoribus discipulis Domini, ita cum diuino viro Aguro, Prou. XXX, 2. 3. de se ita scribente: *Stupidior sum (nempe extra diuinam illam, quam habeo, reuelationem, & quatenus mihimet ipse relictus sum) quam quisquam, nec est mihi prudentia hominum: neque didici sapientiam; & tamen noui scientiam sanctorum,* sublimiorem ac caelestem philosophiam. Nec est, vt a naturali bonitate patrii soli hoc, quidquid est sapientiae in Amosi vaticinio, repetamus, existimantes, ingentem ei dispositionem fuisse ad diuina mysteria percipienda: quod miramur CORNELIO a LAPIDE in Proem. p. 253. ex Rabbinis haustum, placere potuisse. Quamuis enim Ioab, reconciliaturus Dauidi Absalomum, misso Thekoam nuncio, sapientem feminam, quae Dauidi scite rem persuaderet, inde accersiuisset legatur 2 Sam. XIV, 2. seqq. ibique DAV. KIMCHI scribat: *Dixerunt magistri nostri beatæ memoriae: cur misit Thekoam? Respondit R. Ionathan incolae eius urbis, utpote oleo aduersos, sapientia laude floruisse. Abundauit enim urbs illa oleis: unde iidem doctores nostri Thekoam adpellauerunt ALPHA OLEI.* Dicere voluerunt, urbem in Israelitica regione ab oleo maxime celebratam fuisse Thekoam. Propterea nominarunt eam Alpha olei, quemadmodum Alpha litterarum prima est. Sita autem fuit in tribu Aser, de qua scriptum est

Deut.



*Deut. XXXIII, 24. INTINGENS IN OLEYM PEDEM SVVM*; tamen, vt concedamus, oleosam fuisse Thekoam, quod Talmudici in *Misebna* tr. *Menachorb* VIII. 3. diserte asserunt, falsum est contra, Thekoam Aferiticam fuisse urbem, vt supra ostendimus §. VIII. & IX. indeque & falsa est loci Mosai- ci ad rem præsentem adplicatio; lubrica quoque argumen- tatio ab olei fertilitate & copia ad sapientiam incolarum; Thekoitis illa ab Ioabo accersita non est existimatione soli patrii, sed ob sapientiam Ioabo ex aliis documentis iam no- tam; omniumque minime Amosus, vt pecuarius homo, ex- tra aptitudinem a Deo sine medio impetratam, de laude ista velut ingentis sapientiæ participavit.

Post voca-  
tionem di-  
vinam pro-  
pheta intre-  
pidus.

§. XVI. Alia longe ratio Amosi post diuinam eius vo- cationem fuit, ea scilicet, quam ipse exponit c. VII, 15. *As- sumpsit me Dominus a (post) oues*, h. e. sequentem agentem- que greges, *ac dixit ad me Dominus: Abi, varcinare aduersus populum meum Israellem*. Dominus nempe, vt i piscatoribus apostolos piscatores hominum, ita ex ouium pastore Amoso prophetam, qui Israelitas eloquiis diuinis pasceret, effecit: euentu æque notabili, ac illo, quo Dauidem ducentem oues, de caula sumtum, populo Israelitico regem præfecit 2 Sam. VII, 8. Psal. LXXVIII, 70. 71. & quo Elisæum, aratrum ad- huc ducentem, prophetico muneri iniciauit 1 Reg. XIX, 19. sqq. Qua sparta diuinitus in se collata fideliter intrepideque Amosus perfunctus est, ita vt Amatziæ Bethelenfi sacrificu- lo, prophetiis ipsius intercedenti, ipsumque ad Iudaici regni fines ableganti, nequidem ad horam cesserit Amos. VII, 12- 17. ratus, quod res erat, Deo magis obediendum esse quam hominibus Act. V, 29. Animauit, vt alios prophetas, ita se ipsum graui illa ac momentosa ratione: *Leo rugiit, quis non timeret? Dominus Deus loquutus est, quis non varcinaretur?* Amos. III, 8.

§. XVII.



§. XVII. Fata habuit, qualia fidelis & diuino feruens zelo propheta spondere sibi & expectare debuit; qualia de prophetis aliisque piis hominibus V.T. in compendio refert Apostolus Hebr. XI, 36 -38. Distinguemus autem ea, prout vel incerta fuerint, vel certa. Ad incerta, & quæ humana tantum, nec satis liquida, auctoritate nituntur, remittimus, quod homines coæui eum, ob vitium oris naturale, per modum conuicii *Balbulum* adpellauisse traduntur: plane vt Paulus, Athenis agens, ab Epicureis Stoicisque philosophis probrosum nomen τὸ σπερμολόγισ, *Circularoris* seu (vt Vulgatus reddidit) *Seminiuerbii*, passus est Act. XVII, 18. Ita habetur in *Vatikra rabba*, sectione X, cuius initium est וְאֵלֶּיךָ פְּרָאִיפֶּה, nec non in *Medrasch* super Esa. VI, 7. indeque apud DAV. KIMCHI in *Comm.* tum ad Esa. VI, 7. tum ad Amos. I, 1. his verbis: *Misf* (sic Deum de Israelitis loquentem faciunt) *Amosum; sed vocarunt eum בַּלְבּוּלִים balbulum.* (Est hoc corruptum ex Græco vocabulum, Πελός.) *Dixerunt: Debuisset Deus numinis sui præsentiam non, nisi super hunc balbulum, demittere? Dixit R. Pinechas: Quare vocaturus est nomen eius AMOS? quia fuit (עמוס) grauis, seu oneratus, lingua sua.* Nititur hæc de balburie Amosi, eiusque probro, traditio Iudaica, falso nominis interpretamento, quod supra §. IV. remouimus. Subscribunt tamen ei etiam R. ABRAHAM ZACHVTH in *Iuchasin* f. 12. a. R. GEDALIAS in *Schalschelet bakkabbala* f. 18. b. & 15. ABARBANEL Præfat. in Ezech. f. 153. d. Pertinet huc item, quod EPIPHANIVS de vitis *Prophetarum*, To. II. Opp. p. 245. de martyrio Amosi tradit: *Amatzias*, inquit, *Bebelis* sacerdos, *fustuario eum sæpius adficiens*, (συχνὸς αὐτὸν τυμπανίζων, quod confer cum ἐτυπανίσθησαν Hebr. XI, 35.) *clam ac per insidias ei conuiriatus est.* Ac tandem *Amatzia filius, insidiosa in tempora claua, ipsum interfecit, quod illum de amborum aureorum vitulorum fraude reprobendisset.* *Amos vero*

Fata Amosi  
incerta, bal-  
buties op-  
probrata, &  
martyrium.

D

spirans



*spirans adhuc in patriam delatus, ibidemque mortuus, atque in maiorum suorum sepulchro conditus est.* Quæ totidem fere verbis in *Martyrologio Romano* pridie Calend. Aprilis repetuntur; nec non apud SIXTUM SENENSEM in *Biblioth. S.* lib. I. p. 42. qui tamen (incertum, num data opera, an vitio & confusione scribentis) *clauo circa tempora transfixum occubuisse* fert, cum *clauam* potius dicere debuisset. Eadem quæ Epiphanius, de Amosi fati perhibet auctor *Chronici Alexandrini*, quod *Fastorum Siculorum* nomine vulgo venire solet, in *Bibliotheca maxima Patrum* To. XII. Edit. Lugd. p. 909. Quæ vero ita sunt comparata, vt merito dicendum sit nobis, *Fides esto penes auctores.* Nec certiores nos admodum reddit consensus Iudaici scriptoris, R. GEDALIE in *Schalscheleth bakkabbala* f. 96. b. scribentis: *Vzzias rex Iudæ interfecit Amosum, עמ הברזל שהיה ביד מנחם* posito *inter frontem eius ferro*: quia consensus præsumtus simul dissensu laborat; dum facinus, quod Epiphanius filio Amatzia, id Iudæus Vzzia tribuit; ictum, quem ille temporibus, hic fronti incussum dicit; instrumentum lethiferum ille clauam, hic ferrum fuisse perhibet: quia & in loco cædis non conveniunt, ille Bethelam, vbi vituli aurei fuerunt, hic Iudæam, cui Vzzias rex præfuit, supponens. Quæ ita consonant, vt testimonia duorum illorum Seniorum aduersus Susannam, quorum vnus sub tiliâ, alter sub quercu eam in adulterio a se deprehensam aiebat.

Certa est contra delationem eius, facta per Amatziam, & tentata prohibitio prophetiæ.

§. XVIII. Ea demum certa sunt, quæ Amosus ipse ab Amatzia Bethelensi sacerdote secum gesta narrat c. VII, 10-17. Offenderat sacrificulum, probabiliter ordinis sui primum, vaticinium Amosi antegressum aduersus Israeliticum regnum v. 1-9. in quo nominatim tum præsumtis sanctuariis X. tribuum, Bethelensi, Danitico, aliisque, tum familiæ Ieroboami eo tempore regnantis, nomine Dei dira ominatus erat v. 9.



v. 9. illis quidem, *Vastabuntur excelsa Isaaci, & sanctuaria Israelis desolabuntur*; huic vero, *Insurgam aduersus domum Ieroboami gladio*. Indignatus igitur Amatzias, mittit nuncios ad Ieroboamum, qui dicant ei: *Conspirauit aduersum te Amos in medio domus Israelis, non potest sustinere terra verba illius* cet. v. 10. stratagemate pseudo-theologico vsus, utpote id agens, ut criminis politici reum faceret Amosum, quasi turbatorem reipublicæ ac rebellem. Existimauit, hoc modo se mala quælibet, & cædem ipsam, Amoso concitaturum esse: sed Deo, in cuius manu sunt corda regum, aliter disponente, vana irritaque tunc apud Ieroboamum fuerunt incensoris molimina. Existimauit rex forte, tantum ab Amoso non imminere periculi suo regno, quantum sacrificulus fingeret: indeque nihil seueri aduersus prophetam statuit. Certe Talmudicis doctoribus hoc nomine Ieroboamus laudatur, *quod linguam maledicam non admiserit, prout dicitur: Misit Amatzias sacerdos Bethelensi, cet. Dixit Ieroboamus: Absit! non dixit ita iustus ille; & si vel maxime dixisset, quid faciam ei? Sebeckina enim (seu numen Dei) hoc mandauit ei*. Prouti ex Tr. *Pesachim* refert D. KIMCHIVS in Procem. ad Hoseam. Hac igitur cum non successisset Amatziae consilium, alia rem adgressus via, ipse sibi arrogat ius & auctoritatem (quanquam irriti effectû) amandandi Amosum ex Israelitico regno in Iudæam, ac interdicens ei vteriores actus prophetiæ in Bethelensi oppido, seu regio sanctuario ac sede, cui cum prophetiis ipsius nequidquam conueniat, v. 12-17.

§. XIX. Tempus, quo vaticinatus est Amos, in titulo libri exprimitur, idque primo generalius, deinde specialius. Generalius designatur per synchronismum vtriusque regni, tum Iudaici, quando dicitur, *in diebus*, seu tempore *Vzzia regis Iudæ*; tum regni *Israelitici*, seu decem tribuum, quan-

Tempus vaticinationis generatim, sub Vzzia & Ieroboamo.



do subiicitur, & in diebus, seu tempore *Ieroboami filii Ioasi, regis Israelis*: specialius vero id describitur per adiecta verba, *Biennio ante terra motum*, c. I, 1. Et per Iudaici quidem regni synchronismum descripta est ætas prophetiæ Amosi, quia non solum Thekœnsis, ac adeo a primis natalibus suis ciuis huius regni fuerat; sed etiam genuinam sacrorum sedem ibi demum, non vero intra Israelitici regni ambitum, siue in Bethelensi, siue in Danitico oppido, siue alibi locorum agnouit: indeque vaticinium suum notabili hac auspiciatus est formula, *Dominus e TZIONE rugiet, & ex HIERO-SOLYMA edet vocem suam*; innuens hoc ipso, ibi esse verum Dei templum cultumque, neutiquam vero in Israelitico regno, vbi colebantur vituli aurei. Adiecit tamen Prophetæ synchronismum Israelitici quoque regni, quia illic vaticinatus est in Bethelensi oppido, & regnum illud pro vaticinii sui primario Obiecto habuit. Hinc iure merito hæc temporis designatio nequaquam superuacua est habenda: quia veram illa dat intelligentiam verbis vaticinii, actisque illis Amosum inter & Amatziam, quæ modo in §. XVIII. exposuimus. Et *Vzzias* quidem, qui & *Azarias* est dictus, is est, cuius res gestas descripserunt Historici sacri 2 Reg. XIV, 21. c. XV, 1-7. & 2 Par. XXVI. toto. *Ieroboamus* vero, non prior ille Nebati filius, qui Israeliticum regnum, ab Iudaico auulsum, condidit, sed secundus, isque *filius Ioasi*, ex familia Iehui, cuius pronepos fuit, est is, quem Deus decem tribubus saluatorem dederat, quiq; terminos regni Israelitici, sub Ioachazo & Ioaso nimium quantum accisos, restituit: cuius historiam legimus 2 Reg. XIV, 23-29. Cum autem *Vzzias* anno vigesimo septimo Ieroboami II. regnare occiperit 2 Reg. XV, 1. Ieroboamus vero in vniuersum annos quadraginta & vnum regnauerit c. XIV, 23. igitur, si demas priores XXVII annos regni Ieroboami, remanebunt ei ad minimum XIV anni,



ni, quibus quum Vzzias Iudaico, ipse Israelitico regno præfuit. Nouimus quidem, nodis suis horum regum chronologiam esse implicitam; cum vero explicare illos atque resolvere præsens nostrum institutum non permittat, annos heic computare volumus simpliciter, vti locis allegatis sunt definiti. Et inter hos XIV annos, quibus vna Vzzias & Ieroboamus regnauerunt, constringenda esse videtur Amosi prophetia: de qua tamen, iudice Ven. CARPZOVIO *Introduct. ad libros Bibl. P. III. p. 326.* ne sic quidem satis constat, in quem præcise annum sit coniicienda.

§. XX. Spes quidem erat specialius definiendi anni auspicalis Amosi, ex eo, quod subiicitur, *biennio ante terræ motum*; dum modo constaret, quo præcise anno is terræ motus existerit: verum de illo tacent historici sacri, Regum & Paralipomenorum scriptores; neque eius alibi vlla mentio, præterquam Zach. XIV, 5. his verbis: *Et fugietis per vallem montium meorum, cet. fugietis, inquam, quemadmodum fugistis propter terræ motum tempore Vzziae regis Iudæ.* Ex quo loco hæc duo discimus: primo fuisse illum terræ motum horribilem; deinde, memoriam eius inde ab Vzziae temporibus, vsque post reditum ex captiuitate Babylonica, ac adeo vsque ad ætatem Zachariae prophetæ, integram ac veluti recentem, siue ex orali traditione, siue ex monumentis ciuilibus historicis, mansisse. Sed nihil heic de anno illius terræ motus. Sunt tamen, qui hunc terræ motum eodem temporis articulo accidisse putant, quo Vzzias templum Dei ingressus, sacerdotium sibi ambitiose arrogauit, eaque propter lepra percussus est 2 Reg. XV, 5. 2 Par. XXVI. In horum numero antiquissimus est IOSEPHVS Antiq. l. IX. c. X. & post eum Hebræi illi, de quibus HIERONYMVS Comm. in Amos. l. l. *Hic est, inquit, Ozias, - qui indebitum sibi sacerdotium vindicare conatus, lepra percussus in fronte est, quando iram*

Speciatim  
biennio ante  
terram mo-  
tum.



*Domini non solum pena eius, qui sacrilegus fuit, sed & terræ motus ostendit, quem Hebræi tunc accidisse commemorant.* His accedunt interpretes Hebræi, SAL. ISAACIDES, A. EZRA, DAV. KIMCHIVS, alique in Commentariis suis ad Amos. I, 1. Et res foret in vado, si quidem certo constaret, hunc ipsum terræ motum esse, quem & Esaias c. VI, 4. his verbis prædixerit: *Commoti sunt postes Templi.* Sic enim iste terræ motus anno demum Vzziz emortuali euenisset, coll. ibid. v. 1. *Anno, quo mortuus est rex Vzzias, vidi Dominum,* cet. Sané chaldæus paraphrastes IONATHAN comma illud Esa. VI, 1. ad hanc hypothesein explicavit: *Anno, quo (iepra) percussus est rex Vzzias, dixit Esaias: Vidi gloriam Domini.* Sed miscerent Hebræi doctores, confunduntque, quæ diuersa esse nobis videntur, vti in se, sic temporum rationibus; nempe ingressum Vzziz in Templum, terræ motum, & visionem ecstaticam Esaiæ, qua Templi postes ob Seraphinorum clamorem contremiscere conspicatus est: quæ tria quis nobis spondebit eodem pertinere, cum ipse A. EZRA in Comm. ad Amos. I, 1. fateatur, *hypothesein hanc probari non posse ex Scriptura, sed ex Traditione;* traditio vero Iudæorum, quam non omnino spernenda, tamen non satis tuta sit, & ἐξ ὁμώνυμου. Vnde τὸ ἐπὶ ἐξουσίας in re, quæ determinatu saltem admodum difficilis est, præstare videtur.

Coæui prophetae, Esaias, Hoseas, Joel & Ionas.

§. XXI. Coæuos igitur ex Prophetis habuit Amosus *Esaiam & Hoseam*, utpote qui & ipsi regnante Vzzia vaticinati sunt, licet terminum vaticinationis suæ ultra produxerint, ad tempora subsequutorum regum, Iorhami, Achazi & Hizkiz, Esa. I, 1. Hos. I, 1. His addimus *Ioel & Ionam.* *Ioel*: quia in XII prophetarum minorum volumine, iam prisceis temporibus sic, vti nunc est, ordinato, medium locum Hoseam inter & Amosum, coæuos sine dubio prophetas, obtinuit; quod factum vix esset, nisi hi qui Canonem sacrum,

&



& in hoc ipso τὸ Δωδεκάτηρον ordinarunt, Ioelem Hoseæ & Amosō ratione temporis æqualem iudicauissent. Accedit quod Amosus Ioelem & vaticinium eius non obscure respexit, dum auspicalia prophetiæ suæ verba, c. I, 2. *Dominus ex Tzione rugiet, & ex Hierosolyma edet vocem suam*, ex Ioelis c. IV, 16. desumpsit, & tractationi suæ veluti fundamentum substrauit. Quod argumentum, præcedenti iunctum, saltem hoc efficit, vt quo tempore Amosus vaticinari occcepit, Ioelis prophetia iam exstiterit, & respecta fuerit ab Amosō; haud aliter ac prophetia Esaïæ c. II, 2-4. a Michæa c. IV, 1-3. Obadiæ v. 1. seqq. ab Ieremia c. XLIX, 14. seqq. Eandem sententiam cum Hieronymo, Luthero, Abarbanel, Lightfoot, Vitringa, Maio propugnauit Ven. D. IO. HENR. MICHAELIS Præfat. in Ioelem, etiam ex paritate argumenti. Sic de plaga locustarum & siccitatis, de qua Amosus ad Israëlitas c. IV, 7-9. Ioel ad Iudæos locutus est c. I, 4. seqq. Sed & *Ionam* addimus: quia licet vaticinium eius contra Nineven, in Canone sacro exstans, forte recentius paulo fuerit, quam prophetia Amosi, saltem ex mente illorum, qui Canonem sacrum ordinantes, Ionam Amosō demum post Obadiam subiecerunt; tamen iam antehac voce, licet non scripto, vaticinatus erat de finibus Israëliti regni restituendis, illustri euentu, eoque per Ieroboamum II, sub quo Amosus prophetauit, ad effectum deducto 2 Reg. XIX, 25. De *Obadiæ* igitur ætate quid sentiendum sit, & num Hoseam Amosus, vtrumque vero Ioel vaticinando anteuertit, quod CAMP. VITRINGA in *Prolegom. Comm. in Ies.* p. 6. probabile efficere conatus est; ex ordine illo, quo Amosum sequitur, Ionam vero præcedit, iudicari quodammodo potest. Plura de Prophetarum ætate & ordine dabit ABRABANEL Præfat. in XII Prophetas minores p. 221. sq. de Amosi vero inprimis & Ioelis transposito ordine in LXX virali versione secundum Codic.



Codicem Alexandrinum, 10. ERN. GRABE in *Prolegom. ad Octateuch.* §. 3.

Auditores  
& Obie-  
ctum vati-  
cinatorum  
Amosi præ-  
cipue X tri-  
bus,

§. XXII. Quamuis autem Amosus patria Thekœnfis, ac adeo ex regno Iudaico ortus fuerit, tamen non illic, sed apud Bethelenses in regno decem tribuum vaticinatus est: quod clarissime liquet ex fatis Prophetæ, ab ipso met c. VII, 10-17. perscriptis, & supra, §. XVIII. huius dissertationis nostræ explicatis. Nec vero solum ibi prophetauit, sed etiam contra easdem X tribus regni Israelici vaticinium suum imprimis direxit. Hinc prophetia eius inscribitur c. I, 1. *Verba Amosi*, - - *quæ vidit*, hoc est, prophetauit, אל ישראל, non ἐν Ἱερουσαλὴμ, ut perperam in LXX virali habetur, sed ADVERSUS ISRAELEM. Vbi quaeritur, sitne vox Israel in latitudine sua relinquenda, ut vniuersas tribus ab Israele ortas, & has siue Vzzizæ siue Ieroboamo II. subiectas, denoret; an vero ad specialem restringenda significationem, qua Iudaico regno contradistinguitur, ac eas demum tribus indicat, quæ Dauidicæ familiæ regno inde a tempore Rehabeami subtractæ, Ieroboamo I. eiusque successoribus subfuerunt? Posterius, ut nunc perspicimus, semagis probat nobis, quam prius. Etenim in primo statim vaticinio Amosus ipse Israellem contradistinguit non solum finitimis gentibus, *Damascenis* c. I, 3-5. *Gazæis* ac *Philistæis* v. 6-8. *Tyriis* v. 9. 10. *Idumæis* v. 11. 12. *Ammonitis* v. 13-15. *Moabitibus* c. II, 1-3. verum etiam *Iudæis*, seu incolis regni Iudaici v. 4. 5. quum eodem orationis tenore pergens v. 6. sqq. Sic dixit Dominus, inquit, *Propter tres prauaricationes ISRAELIS* cer. vbi palam est, Israellem stricto sumi significatum. Hinc c. IV, 1. eundem Israellem a metropoli describit, *Audite verbum hoc, vaccae Basaniticæ, quæ estis in monte SAMARIZÆ*. Et quanquam alicubi vniuersas tribus Israeliticas in vaticiniis suis coniungat, v. g. c. III, 1. *Audite verbum hoc, quod*



quod locutus est Dominus ad vos, o FILII ISRAELIS, ad VNIVERSAM illam FAMILIAM, quam eduxi ex terra Egypti; tamen mox missis incolis Iudaici regni, ad Israelitici regni ciues, tanquam ad proprios auditores speciatim conuertitur, v. g. ibidem v. 9. *Congregamini super montes SAMARIAE*, v. 12. *Sic eripientur habitantes in SAMARIA*, v. 14. *Die, quo animaduertam in Israelem propter prauaricationes eius, animaduertam in altaria BETHELENSIA*, quæ erant Israelitici regni. Quemadmodum contra, c. V, 1-17. ad X tribus quidem, tanquam ad proprium Obiectum, loquitur, coll. v. 5. 6. 15. sed ita, vt in progressu ad ipsos vna Iudaici regni ciues orationem deflectat, v. 18-27. coll. v. 21. 27. Vicissim c. VI, 1. initio quidem compellat vtriusque regni incolas, *Heus*, inquit, *securi in TZIONE, & præsidentes in monte SAMARIAE*; sed finis Capitis ostendit, filium prophetici sermonis a generali Obiecto ad specialius propriumque esse reflexum, coll. v. 14. *Suscitabo aduersum vos, o domus Israelis, inquit Dominus Deus exercituum, gentem, (Assyrios puta) qui adfligent vos, inde ubi venit Hamath, usque ad fluuium planitiei campestris*: vtpote quæ descriptio est finium, non totius Palestinae, Iudæam vna complexæ, sed regni speciatim sic dicti Israelitici seu X tribuum, coll. 2 Reg. XIV, 25. Hoc igitur sensu cum nobis veniat illud comma in titulo libri, *quæ vidit contra Israelem*; hinc patet, fieri in illo denominationem a potiori Obiecto vaticinii, eumque titulum vaticinia particularia aduersus finitimas gentes, paulo ante memoratas, non magis excludere, quam illum Esaie c. I, 1. *Visio Esaie filii Amorzi, quam vidit super Iuda & Hierosolyma*, cum constet etiam de Israelitis seu X tribubus, Syris, Assyriis, Chaldæis, Moabit, aliisque gentibus vaticinatum esse Esaïam. Existimamus autem, Deum in primo hoc Amosi vaticinio, comminationi aduersus X tribus præmississe

Non tamen  
exclusis in-  
colis Iudaici  
regni & po-  
pulis finiti-  
mis.

E

commi-



comminationes, primo aduersus exteras gentes, Damasce-  
nos, Philistæos, Tyrios, Idumæos, Ammonitas, Moabitas, de  
inde vero aduersus Iudam; cum vt intelligeretur, id iam a-  
gere Deum, vt de Israelitis non modo, verum etiam de fini-  
timis populis, & de ipsis incolis Iudaici regni, graue sume-  
ret supplicium, instante iam die iudiciali, qui יום עֶזְרָא *dies nubilus, ac tempus puniendarum gentium*  
*futurus esset* Ezech. XXX, 3. tum vt X tribus inde argumen-  
tum ducerent a minori ad maius, & ad maiori ad minus, sic  
subsumentes: Si gentes punit Deus, quatum tamen pro-  
pter minorem gratiæ diuinæ mensuram, minor quam nostra  
culpa est, igitur nos multo punit magis, coll. c. III, 2. *Tan-*  
*tummodo vos agnouit præ omnibus familiis terræ, ideo animad-*  
*uertam in vos propter omnes iniquitates vestras, & c. IX, 7. 8.*  
*Nonne sicut Æthiopum filii vos mibi estis, filii Israelis? inquit*  
*Dominus; nonne Israelitas eduxi ex Ægypto? Ecce oculi Do-*  
*mini Dei sunt contra regnum hoc peccaminosum* cet. Et vi-  
cissim: Si ne Iudaico quidem regno parceret Dominus, in quo  
templum & vera eius religio remanent, quanto minus parceret  
nobis, qui verum Dei cultum dudum eliminauimus?

Amosus ipse  
vaticinio-  
rum suorum  
scriptor.

§. XXIII. Amosum ipsum vaticinia sua scripto man-  
dasse, aut mandari saltem curauisse, titulus libri probabile ef-  
ficat: *Verba Amosi, - - quæ vidit contra Israellem*, cet. Vt-  
pote ad eum modum comparatus, quo tituli aliorum libro-  
rum sacrorum, suis quos præ se ferunt auctoribus procu-  
dubio tribuendorum; v. g. Neh. I, 1. *Verba Nebemias filii*  
*Chabalia;* Cohel. I, 1. *Verba Cobeletb filii Davidis regis in*  
*Hierosolyma;* Ier. I, 1. *Verba Ieremias filii Hilkias, ex sacerdo-*  
*tibus, qui in Anatboth in terra Benjamin.* Nec opus habere  
ista thesis probatione, nisi in dubium vocata esset, ex Iudæis  
quidem a *Thalmudistis* eorumque sectariis; ex Christianis  
vero, nomine saltem talibus, a THOM. HOBBSIO. Illorum  
effarum



effatum exstat in Tr. *Baba barbra* c. I. *Viri Synagogæ magnæ scripserunt librum Ezechielis, & duodecim Prophetas minores*, (ergo & in his Amosum) *Danielem item, & Volumen Esfbera*: huius vero parum pia dubitatio in *Leuiathane* c. 33. his verbis expressa legitur: *Liber Amos, prophetia ipsius est; an tamen ab eo scriptus sit, non adparet*. Vtrique occasionem temerariæ siue adfertionis siue dubitationis inde sumserint forte, quod qui Amosi vaticinia edidit, de Amoso, veluti de tertia quadam persona, loquitur, non solum in titulo, *Verba Amosi, qui fuit* (non qui fui) *inter pecuarios ex Thekoa, quæ vidit* (non quæ vidi) *contra Israël*; sed etiam in medio libro c. VII, 12. *Dixit Amasias, non ad me, sed ad Amosum*, v. 13. *non & respondi ego, sed respondit Amosus*. Verum sic Mosi ipsi, sic Esaiæ & Ieremiæ, scriptio librorum suorum, propriis siue manibus siue auspiciis facta, pari modo abiudicanda foret, quia & hi in libris suis de se in tertia loquuntur persona Ex. III, 1. seqq. Esa. I, 1. c. II, 1. cet. Ier. I, 1. seqq. c. XX, 1-3. cet. sed & dubitari posset, sintne C. IVLII CAESARIS de bello quod cum Gallis gessit *Commentariorum libri VII*, ab ipso Cæsaris manu, utpote in quibus res gestæ Cæsaris in tertia narrantur persona. Atqui prius non admittunt *Talmudistæ*, posterius non persuadebit *Hobbesius*: ergo & in Amosi causâ faceffat argumentum parum solidum, a PRÆSIDE alibi, hoc est, in Præfat. *uberiorum adnotat. in Daniele* §. XXIII. iam confutatum. Notetur vero contra libellum vaticiniorum Amosi vel ideo ab ipso scriptum esse auctore, quia passim in prima persona loquitur, v. g. c. VII, 1-9. *Sic videre me fecit Dominus* cet. c. VIII, 1. 2. c. IX, 1. utpote quod alii, nisi scriptori, vix competit.

§. XXIV. Cum vaticinium Amosi diuinitus inspiratum sit, uti Propheta ipse cum alibi passim, tum in primis c. VII, 15. asserit; & vero partem voluminis τῶν δώδεκα προφητῶν,

Diuina &  
canonica  
vaticinio-  
rum Amosi.  
hoc auctoritas.



hoc est, *duodecim prophetarum* minorum, quod Hebræis abfolute עשר וְיָדָיִם, vel chaldaico vocabulo תריסר adpellari solet, inde a constituto Canone sacro iam fecerit, Sirac. XLIX, 10. iuncto simul *Melitone*, qui apud EVSEBIUM in *Hist. Eccl.* lib. IV. c. 26. prophetias τῶν δώδεκα ἐν μονοβιβλῳ, *duodecim prophetarum vno libro* comprehensas, & ipse memorat; plane vt Talmudici doctores in *Baba batbra* f. 14. b. seqq. dubium ergo nequit esse, quin ad corpus illius Scripturæ S. canonicae pertineat, de qua sanctus Apostolus 2 Tim. III, 16. 17. *Omnis, inquit, Scriptura, diuinitus inspirata est, & utilis ad doctrinam, ad conuictionem, ad emendationem, ad institutionem in iustitia, vt perfectus sit Dei homo, ad omne bonum opus consummatus.* Ipsi auctores sacri cum Veteris tum Noui Testamenti testimonium ei perhibent; dum vaticinium eius nominatim laudauerunt: ex illis (licet apocryphus) Tobias c. II, 6. *Et recordatus sum prophetiae Amosi, quum dixit: Vertentur festa vestra in luctum, & omnes letitiae vestrae in lamentum,* coll. Amos. VIII, 10. ex his vero S. Stephanus Act. VII, 42. 43. *Quemadmodum scriptum est in libro Prophetarum: Numquid victimas & sacrificia attulistis mihi quadraginta annis in deserto, domus Israel?* cetera, coll. Amos. V, 25. 27. & Iacobus in Hierosolymitano concilio Act. XV, 15. 16. 17. *Quemadmodum scriptum est: Post hac reuertar & reaedificabo tentorium Davidis collapsum,* cet. coll. Amos. IX, 11. 12. Quod vero maius est, Deus reale testimonium ei perhibuit, dum quæ Amosus prædixit, ipse, vti prædicta sunt, impleuit: vt quod Ieremias c. XXVIII, 9. veri prophetae characterem facit, *Quisquis propheta vaticinatus fuerit de pace, cum euenerit verbum prophetae, cognoscetur propheta is, quod vere miserit eum Dominus,* pro diuinitate Amosi allegari debeat; imprimis quum ea prædixerit, quæ humana perspicacia homo pecuarius & idiota peruidere nequiu.

§. XXV.



§. XXV. Etenim argumentum prophetiae maxima quidem ex parte *comminatorium* est, videlicet inde ab initio libri vsque ad c. IX, 10. in *euangelicas* tamen *promissiones*, & has lætam rerum catastrophem, sub regno Christi exstituram, prænunciantes, definit c. IX, 11-15. idque eum in finem, ut iustitia Dei in puniendis impiis, tum veracitas in adimplendis promissionibus æque, ac summa misericordia & gratia in saluandis per Christum Iudæis & gentibus, dilucescat; coll. c. IX, 8. seqq. homines vero ex securitatis veterno excitati, ad Deum conuertantur, coll. c. IV, 12. c. V, 4. 5. 6. 14. 15. Quod ad *comminationes*, sunt illæ partim *nudæ*, c. I. 2. vsque ad c. VI, 14. partim vero typis ac emblematicis figuratæ, c. VII, 1. vsque ad c. IX, 10. *Comminationes nudæ* quatuor absoluuntur concionibus, quarum aliæ ab aliis procemiali formula distinguuntur: 1) post generalem clarigationem emphaticis his expressam verbis, *Dominus e Tziōne rugiet, & ex Hierosolyma edet vocem suam; lugebuntque mansiones pastorum, & exarescet vertex Carmeli* c. 1, 2. primo finitimis gentibus, Damascenis v. 3-5. Philistæis v. 6-8. Tyriis v. 9. 10. Idumæis v. 11. 12. Ammonitis v. 13-15. Moabiticis c. II, 1-3. ipsis incolis Iudææ v. 4. 5. deinde vero Israelitum suorum Obiecto, v. 6-16. singulis propter tres præuaricationes, additamque his quartam, quæ præcedentium complementum est, extrema denunciat; 2) Israelitas primo in vniuersum, deinde vero speciatim incolas regni X tribuum, denunciatione imminentis excidii reip. denuo terret c. III. 1-15. non sine respectu ad clarigationem illam primo sermoni præmissam c. I, 2. coll. heic v. 4. *Rugietne leo in sylva, cum præda non fuerit ei? an edet iuuenis leo vocem suam ex luto suo, nisi ceperit*, seu in eo sit, ut capiat quid? & v. 8. *Leo rugit, quis non timebit?* 3) primo magnates, mox

E 3

incolas

Prophetiae  
Amosi argu-  
mentum,  
scopus, par-  
titio.



incolas regni Israelitici vniuersos, propter iniustitiam, idolatriam ac in peccatis pertinaciam, comminatione pœnæ diuinitus infligendæ ad pœnitentiam excitat c. IV. 4) canit lamentum super instante vtriusque regni destructione, loquens primo X tribubus c. V, 1-17. deinde vero ciuibus vtriusque regni, tam Iudaici quam Israelitici, coniunctim v. 18. vsque ad c. VI, 14. *Comminationes emblematicæ* tribus constant sermonibus: 1) imminetia Israelitis Dei iudicia exponit, eaque primo inchoata sub symbolo locustarum c. VII, 1-3. & ignis v. 4-6. dein consummata sub symbolo perpendiculi v. 7-9. adiuncta narratione de actis Amosum inter & Amatiam super hac ipsa prophetia v. 10-17. 2) finem reip. Israeliticæ, diramque verbi diuini in exilio famem, prænuntiat sub typo fructuum æstiuorum c. VIII. toto; 3) Iudaico potissimum regno, sub emblemate percussarum a Domino columnarum Templi, comminatur excidium, quod primo exaggerat c. IX, 1-8. deinde restringit, additis *promissionibus* illis *euangelicis*, quas paulo ante commemorauimus, quæque argumenti partem principalem faciunt alteram, v. 9-15. de regno Christi, Israelitis & gentibus auspato futuro.

Vtilitas exempli & libri Amosi.

§. XXVI. Habemus igitur in Amoso exemplum, multiplici nobis vsui futurum: exemplum hominis ex humili conditione ac sorte ad dignitatem prophetici muneris euecti; pastoris olim & idiotæ, post vocationem vero diuinam ea & sapientia & dicendi facultate instructi, vt non quidem persuasoriis humanæ sapientiæ sermonibus, sed diuina efficacia potentiaque homines de voluntate, consilio, & attributis Dei docere potuerit. De quo AVGVSTINVS lib. IV. *de doctrina christi*. c. VI. post alia multa: *Quam sit pulcher Amosus, inquit, & quemadmodum adferat legentes atque intelligentes, non opus est cuiquam dici, si ipse non sentiat. Et plura quidem,*



*dem, quæ pertinent ad præcepta eloquentiæ, in hoc ipso loco, quem pro exemplo posuimus, possunt reperiri. Sed bonum auditorem non tam, si diligenter discutiatur, instruit, quam si ardentem pronuncietur, accendit. Neque enim hæc humana industria composita, sed diuina mente sunt fusa & sapienter & eloquenter, non intenta in eloquentiam sapientia, sed a sapientia non recedente eloquentia. Plura cum dicere pro præsentis instituto prohibemur, hoc solum adiicimus: Felices nos, si Amosi prophetiam, cum reliquis Scripturis sacris, ita legamus, ut ex illa lectione eodem Spiritu, qui Amosum animauit, & nos imbuamur!*

## T A N T V M.

### NOBILISSIMO AC DOCTISSIMO RESPONDENTI PRAESES.

**L**audari mereris, NOBILISSIME RESPONDENS, quod post confectum in academiis litterarum stadium, discedere hinc, & ad Tuos remeare prius nolueris, quam edito in publicum specimine fructus ex acroasibus Doctorum perceptos demonstrasses, instituto, quod, vti in se vrile, sic Regia voluntari ac mandato conforme est. Et vero maiorem in modum probo, quod cum in aliis studii theologici partibus ac ornamentis, tum imprimis in sacrarum litterarum scrutamine operam posuisti sedulam, rarus id quodres est, thesaurum

in



*in illis reperiri verbi fidelis, seu fide digni, ad doctrinam comparari, cuius tenacem Paulus vult esse episcopum, indeque & ministerii sacri candidatum, vt potens sit & adhortari in doctrina salutari, & contradicentes conuincere, Tit. I, 9. Hac ipsa de causa placuit Tibi in publicæ disputationis materiam thema proponere, quod studiis a Te cultis hucusque apprimè conueniret, hoc est, quod illustrandis Scripturis subseruire posset. Gratulor Tibi hoc tuum consilium, hanc tuam voluntatem: nec dubito, quin in publico conspectu rem tuam ita gesturus sis, vt & hac in parte gratulandi causam habeam. Quod reliquum est, mi WEISBECKI, vt paternis curis ad optima quæque a teneris vnguiculis formatus es, & per illud tempus, quod apud nos exegisti, diligentem ac bonis moribus compositum te gessisti, sic Tibi Deus porro adsit, precor, ac Spiritu suo, spiritu sapientiæ & prudentiæ, spiritu consilii & fortitudinis, spiritu cognitionis ac timoris Domini Te totum perfundat, vt vestigiis summe reuerendorum rum PATRIS tui, rum ADFINIS, quos fautores, amicos & fratres colo, fideliter insistens, virtutem eorum aliquando adæques. Vale.*  
*Dabam ex Museo d. V. April. c 1710 c c c x x v i.*





Je 2608

ULB Halle  
003 904 288

3




fr

Retw ✓









EXERCITATIO  
PHILOLOGICO-THEOLOGICA  
DE  
**VATICINIO  
AMOSI  
PROPHETAE,**

QVAM  
ADSISTENTE GRATIA DIVINA,  
PRAESIDE  
**CHRISTIANO BENEDICTO  
MICHAELIS,**

THEOL. ET PHIL. PROF. PVBL. ORD.

AD D. VII. APRIL. A. c1810ccxxxvi.

IN FRIDERICIANA ACADEMIA

HORIS LOCOQVE CONSVETIS

PVBLICO ERVDITORVM EXAMINI SVBMITTET

RESPONDENS

**GOTTLIEB AVGVSTVS Weisbeck,**  
HALBERSTADIENSIS.

HALAE MAGDEBVRGICAE,  
TYPIS IOH. CHRISTIANI HENDELII, ACAD. TYPOGR.